e-codices

naturali cernat officio. Quod autem perficit ista cogitatio iude-
orum? non ut secundum scripturas uenisse christum probetur. Erat enim qui exspe-
ctabatur, et ipse utique qui exspectabatur, non is qui non exspectabatur adue-
nit. Quid autem ineptius, quam quod is qui in alio estimatur in se ipso esse
non creditur? Quem per mulierem uenturum putabant, per uirginem ue-
nisse non credunt. Itaque deo secundum carnem dignior generatio, qua
ut immaculatus dei filius immaculate generationis seruaret etiam in
suscipiendo corpore puritatem. Et utique diuini aduentus signum
in uirginis partu non in mulieris est constitutum.

EGO INQUIT uos aqua baptizo. Certo probabit non esse se
christum, qui uisibili operetur officio. Nam cum ex duabus na-
turis homo id est ex anima subsistat et corpore,
uisibile per uisibile, inuisibile per inuisibile my-
sterium est secretum. Aqua enim corpus abluitur, spiritu anime delicta mun-
dantur. Aliud agimus, aliud inuocamus. Licet etiam in ipso fonte
sanctificatio diuinitatis aspiret, non enim aqua omnis ablutio est,
sed hec inter se diuisa esse non possunt. Et ideo aliud fuit baptismum
penitentie, aliud gratie est. Istud ex utroque, illud ex uno. Nam
cum delicta communia sint mentis et corporis, purificatio quoque de-
buit esse communis. Et bene sciens iohannes se intellexisse signifi-
cans quid in cordibus cogitarent, et quasi non intellexerit declinans
maiestatis inuidiam, non uerbo sed opere declarauit non esse se christum.
Opus enim hominis est gerere penitentiam delictorum, dei munus
est gratiam implere mysterii.

UENIT autem fortior me. Non comparatione fecit
ut ipso se tantum fortiorem diceret christum. Neque enim
inter dei filium et hominem ulla poterat esse collati-
o, sed quia multi fortes. Nam et diabolus fortis. Ne-
mo enim potest uasa fortis diripere, nisi prius alligauerit for-
tem. Multi igitur fortes, fortior nemo nisi christus. Denique eo usque

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 60 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/60)